



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXXIII. De Impedimentis dirimentibus Matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

232 Erotem. Eccles. Cap. CXXIII. De Impedimentis &c.

*Ecclesia vetitum, nec non Tempus feriatum,
Atque Catechismus, Sponsalia, iungito Votum,
Impediunt fieri, permittunt sacra teneri,
Incestus, Raptor Sponsæ, Mors mulieris,
Susceptor propriæ sobolis, Mors presbyterialis,*

*Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hac conjugium sociandum.*

Porro præsentibus temporibus partim à Concilio Tridentino, partim à consuetudine abolita sunt, addeò, ut quatuor tantum remaneant in observantia; quæ hoc versu continentur.

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.
Ita Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 17. ubi DD. & Tambur. d. lib. 8. cap. 16. num. 1.

CAPUT CXXXIII.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium.

1. *Quer. Quo Jure sint introducta Impedimenta dirimentia? Resp.* Ea esse introducta partim à jure naturæ, partim à jure Ecclesiastico. Jure naturali quatuor sunt introducta, videlicet: Error in persona, impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu rectæ lineæ, nempe Patris cum filia; & Ligamen. Cætera à jure Ecclesiastico proveniunt; & hinc fit, ut illa quatuor sint indispensabilia, & locum habeant etiam in matrimoniis infidelium; reliqua verò possint dispensari, & non arctent infideles. Tambur. d. lib. 8. cap. 1. num. 5. & 6. Et ego ipse in meis Decisionibus anni 1683. in quibus omnia & infra scripta impedimenta dirimentia latè explicavi.

2. *Quer. Quid, & quotuplex sit impedimentum Erroris? Resp.* Erroris impedimentum est, cum quis non contrahit, cum qua intendebat contrahere, & est duplex, vel circa personam, ut si credat quis ducere Mariam, & ducat Catharinam, vel circa qualitates; ut si quis intendat contrahere cum Maria pulchra, vel nobili, vel divite; & inveniat eam aut deformem, aut ignobilem, aut pauperem. Tamburin. dict. lib. 8. cap. 2. §. 1. num. 1. & Mastrius in Theol. Moral. disp. 20. num. 97.

3. *Quer. Quando dirimatur Matrimonium per Erroris impedimentum? Resp.* Quando error est circa personam, semper matrimonium est nullum; ut si quis intendat ducere Mariam, & inveniat esse Bertam, quod sic est intelligendum, ut intentio esset directæ in Mariam, tanquam personam distinctam à Berta, non autem in Mariam, quasi habentem hoc nomen; nam si sic intenderet, & postea reperiret, eam appellari Bertam, matrimonium teneret, quia error non esset in substantia personæ, sed in nomine tantum. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 18. num. 7. Tamburin. dict. lib. 8. cap. 2. num. 1. & cum seqq. Quando autem error versatur non circa personam, sed circa qualitatem personæ, matrimonium est validum, duobus tamen casibus exceptis. Primo, si

expresse quis contraxisset sub conditione illius qualitatis, nempe duco Mariam, si sit dives, vel si sit virgo, vel nobilis, vel non sit ex progenie Judæorum; nam si qualitas sic requisita deficiat, Matrimonium est nullum, nam deficit consensus contrahentis; & idem est, si qualitas fuisset requisita non solum expresse, sed etiam virtualiter tantum, quod fit, quando ab initio fuit protestatum de ea; secus autem, si tantum habitualiter. Sanchez lib. 10. cap. 9. num. 14. Pontius de Matrim. lib. 4. cap. 21. num. 13. Barbosa, in Votis decisivis Vot. 19. art. 3. Tamburin. dict. lib. 8. cap. 2. §. 1. num. 14. & seqq. Secundò, si error circa qualitatem redundet in substantiam personæ, ut si quis audiat, aliquem habere duas filias, unam Virginem, aliam non Virginem; & virginem quidem esse pulchriorem, ideòque petat in uxorem pulchriorem; nam si daretur ei alia non pulchrior, matrimonium esset invalidum, non ex defectu, seu ex errore qualitatis, sed ex defectu substantiæ; quia cum respexerit ad qualitatem pulchritudinis, formavit conceptum, & direxit consensum ad filiam Virginem, distinctam à non Virgine, & sic error qualitatis redundat in personam. Sanchez lib. 7. disp. 18. num. 5. Pontius lib. 4. cap. 21. num. 13. Barbosa, d. Voto 19. num. 3. & Tamburin. d. §. 1. num. 20. ubi subdit, in praxi rectè judicare valde operosum, & laboriosum esse, & allegat casum, in cujus decisione Pontius discrepat à Tabiena, & à Sanchez: & alium de quodam Anglo vilis conditionis, qui Romam petiit, & duxit nobilem puellam, asserendo se esse filium Regis Angliæ; super cujus matrimonii validitate, seu invaliditate, multum altercantur Doctores, quos allegat Barbosa, d. Vot. 19. art. 3. quamvis ferè omnes conveniant pro nullitate, quia illa nobilis puella non consensit in eum hominem tanquam filium Regis; sic enim fuisset error in qualitate non dirimens; sed in filium Regis, quem putavit esse illum hominem, & sic error fuit in substantia personæ. Emin. Cardin. de Lauræa de Matrim. disp. 21. art. 5. per totum.

4. *Quer. In quo consistat Impedimentum Conditionis? Resp.* Consistit in hoc, ut si quis contrahat matrimonium cum persona, quæ sit verè serva, credens eam potiri libertate, matrimonium sit invalidum; quod si sciret, eam esse servam, & contraheret; tunc Matrimonium valeret, etiam non consentiente Domino; ea ratione, quia Dominus non habet jus tollendi à servo remedium concupiscentiæ. S. Thom. in 4. dist. 29. quest. unic. art. 4. cap. ad Nosstram. 4. de Conjugio servorum. cap. Cujus rei 29. quest. 2. Sanch. de Matrim. lib. 4. disp. 22. num. 4.

5. *Quer. An esset validum Matrimonium, si quis contraxisset cum persona serva, quæ tamen crederetur communiter esse libera, ita, ut ipsamet non haberet notitiam suæ servitutis? Resp.* Negative, quia statim ac manifesta fit servitus, quæ vigeat tempore contracti matrimonii, ipsum habetur pro nullo; nam in hoc impedimento ignorantia tam juris, quàm facti nullam potest dare validitatem

tem Sacramento. Tamburin. *dict. lib. 8. cap. 3. §. 1. num. 5.* & Matrius *d. disp. 20. num. 99. & 100.*

6. *Quer.* Quando quis scienter contrahit matrimonium cum serva, in cuius potestate sit futura proles nascitura? *Resp.* In potestate domini ipsius servæ, quia partus sequitur ventrem; nisi forte mater potita esset libertate, vel tempore conceptionis, vel tempore medio, vel tempore partus, quia in hoc casu proles esset libera, & sui juris. *§. 1. Inst. de Ingeniis. Sanchez. de Matrim. lib. 7. disp. 24. num. 10.*

7. *Quer.* An peccet servus, seu mancipium, contrahendo Matrimonium contra voluntatem Domini sui? *Resp.* Negative, quia Domini non habent jus prohibendi Matrimonium suis servis, nisi ageretur de eorum aliquo gravi incommodo. *Sanch. dict. lib. 7. disp. 21. num. 5.*

8. *Quer.* An peccet Dominus vendendo servum suum uxoratum, vel eum mittendo in regionem longinquam, ubi uxor sequi non valeat? *Resp.* Eum non peccare contra iustitiam, sed contra charitatem tantum, quando sine suo gravi damno posset ab illa venditione, vel nimia separatione abstinere. *Pontius de Matrim. lib. 7. cap. 42. num. 6. Matrius d. disp. 20. num. 100.*

9. *Quer.* Si quis ignoranter contrahat cum serva, quæ post annum vel sex menses, ex testamento Domini, sit habitura libertatem, eritne validum Matrimonium? *Resp.* Aliquos Doctores respondisse affirmative, si post sex menses libera evadat, nam parum pro nihilo reputatur. Ita Sanchez *d. lib. 7. disp. 19. num. 4.* & Perez *de Matrim. disp. 21. sect. 1.* Porro Negative responsionem dedit Pontius *d. lib. 7. cap. 43. num. 1. in fine;* cui adhæret idem Tamburin. *d. lib. 8. cap. 3. §. 2. num. 2.* Quia Sacri Canones indistincte loquuntur, nec excipiunt temporaneam servitutem.

10. *Quer.* Si quis concedat libertatem ancillæ suæ per duos, vel tres annos, & interim ipsa nubat alicui nescienti hanc futuram servitutem, eritne validum Matrimonium? *Resp.* Negative, quia per dictam concessionem libertatis servitus non est soluta, sed dormit. *Tamburin. d. cap. 3. §. 2. num. 4.*

11. *Quer.* Si ancilla absolute dimissa è servitute, & liberta effecta nubat alicui nescienti præcedentem servitutem, & credenti eam esse ingenuam, non libertam, valebit Matrimonium? *Resp.* Affirmative, quia mulier liberta est verè libera. *Rebell. lib. 3. sect. 2. num. 19. & Perez d. disp. 21. sect. 1.*

12. *Quer.* An valeat Matrimonium, si quis ducat mulierem liberam, credens eam esse servam? *Resp.* Valere, quia impedimentum est constitutum in servitute vera, non in putativa. *Tamburin. dict. lib. 8. cap. 3. §. 3. num. 6.*

13. *Quer.* Si Petrus servus ducit Mariam servam, credens eam esse liberam, eritne validum Matrimonium? *Resp.* Affirmative; quia Ecclesia irritat Matrimonium, quod contrahit persona libera ignoranter cum persona serva; non autem quod servus contrahit cum serva, licet ignoranter. *Aversa de Matrim. quest. 12. sect. 12.*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

14. *Quer.* Si Titius liber contrahat cum Lucia serva, credens eam esse liberam, sed cum animo eandem ducendi, etiam si esset serva, an validè contrahat? *Resp.* Negative opinionem tenere Sanchez cum aliis à se citatis *lib. 7. disp. 18. num. 6.* Affirmativam docere Bossum cum allegatis *de Matrim. cap. 2. num. 85.* Prior opinio videtur magis iuri consona, quia contractus est cum persona serva ignorata, quo casu matrimonium non valet. *Tamburin. dict. cap. 3. §. 3. num. 9.* sed secundæ adhæret Matrius *d. num. 100.*

15. *Quer.* An contracto nulliter Matrimonio de facto ob servitutem ignoratam, si ea cognoscatur, possint de facto conjuges abire, & seipsos separare? *Resp.* Affirmative, sed ad tollenda scandala, & fraudes, tutius esset recurrere ad Judicem Ecclesiasticum, & sententiam nullitatis matrimonii postulare. *Tamburin. d. lib. 8. cap. 3. §. 5. num. 1.*

16. *Quer.* An contracto Matrimonio nulliter ob ignoratam servitutem, si ea detecta conjux liber velit ratificare Matrimonium, & in eo perseverare, possit persona serva contradicere, & resilire? *Resp.* Affirmative, etiam si ab initio fraudulenter suam servitutem occultasset; licet enim peccaverit attendendo matrimonium, quod Ecclesia prohibet, tamen quia re vera nullum illud est pro utraque persona, & non debet in aliqua parte claudicare, ideo æquè utraque persona resilire potest, & sic persona decipiens non obligatur invita consentire, etiam si decepta id requirat. *Tamburin. d. cap. 3. §. 3. num. 3.*

17. *Quer.* Quo tempore cessarint servitutes hominum in hac Civitate Paduæ? *Resp.* Post annum MCC. Nam de anno 1195. Henricus Canonicus Patavinus in testamento reliquit libertatem servo suo. Ita in *libr. Privileg. Eccles. Cathol. pag. 41.*

18. *Quer.* Quale sit impedimentum voti dirimens Matrimonium? *Resp.* Esse illud, quod insurgit ex voto solemnino inito per Professionem Religiosam, ideoque Regularis professus, tam masculus quàm femina, non potest matrimonium contrahere, & si de facto contraxisset, matrimonium esset nullum, & sic contrahens, ultra peccatum grave, incurreret in excommunicationem latam in *Clem. unic. de Consanguinit. & affinit.* Eadem nullitas provenit ex voto solemnino castitatis facto in susceptione ordinis sacri, sed de hoc inferius specialiter est agendum. Votum verò simplex castitatis non dirimit matrimonium, sed impedit duntaxat; excepto tamen voto simplici, quod peracto biennio emittunt Patres Societatis Jesu, nam illud dirimit matrimonium ex speciali Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino.* Bonacini. *de Impedimen. Matrim. qu. 3. punct. 4. num. 2. & 3.*

19. *Quer.* An Matrimonium contractum post professionem sit nullum de jure naturæ, vel solo jure Ecclesiastico? *Resp.* Plures plura dicere, sed magis communem opinionem esse, quod nullum sit solo jure Ecclesiastico, ut disputando concludit Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 6. & 7.* Sanchez *de Matrim. lib. 7. disp. 26. num. 4.* & Matrius *d. disp. 20. num. 101.*

G g

20. *Quer.*

234 Erot. Eccles. Cap. CXXXIII. De Impedimentis &c.

20. *Quer.* An Professio Religiosa dirimere possit Matrimonium non post, sed ante illam contractum? *Resp.* Affirmative, si tamen nondum fuerit consummatum; Quia certa est juris regula, matrimonium ratum, non consummatum dissolvi per Religiosam professionem alterius conjugis. Concil. Trident. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 6. & licet de jure soleant assignari duo menses ad deliberandum conjugum volenti Professionem emittere, nihilominus etiam post duos menses potest profiteri, & dirimere matrimonium ratum, & non consummatum; & facta professione, alter conjux, qui remanet in saeculo, potest matrimonium cum alio inire. Sanchez d. disp. 27. Bonac. dict. punct. 4. num. 4. & 5. Ubi id procedere notat etiam in Militibus, seu Equitibus S. Joannis Hierosolymitani; & docet Lessius lib. 4. cap. 41. dub. 8. num. 69. & Sperell. decis. 21. num. 44.

21. *Quer.* An Matrimonium ratum, non consummatum dissolvatur per susceptionem sacrorum ordinum, aut consecrationem in Episcopum, sicut fit per professionem Religiosam? *Resp.* Negative, quia hoc privilegium concessum est soli Religiosa Professioni. DD. in cap. Verum 2. De Convers. conjugat. Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. Bonacin. de Impedim. Matrim. dict. quaest. 2. punct. 4. num. 6.

22. *Quer.* An Matrimonium consummatum possit dirimi per subsequentem professionem? *Resp.* Negative, licet consummatio facta fuerit intra duos menses, quia tunc conjuges facti sunt una caro, & non nisi per mortem possunt separari. cap. Si quis conjugatus. 27. qu. 2. & d. cap. verum. De Convers. conjugat. Quod procedit, etiamsi conjux fuisset cognita per vim, & metum, ut tenet Gutierrez cap. 54. num. 28. & Henriquez lib. 11. cap. 8. num. 10. Quamvis contrarium putet verius Sanchez lib. 2. disp. 21. & Bonac. d. punct. 4. num. 8.

23. *Quer.* An Milites Sancti Stephani, vel Sancti Mauricii, qui ex voto suae Religionis non possunt contrahere Matrimonium nisi semel, & cum Virgine, si prima mortua contrahant cum secunda, licite, & valide contrahant? *Resp.* Eos contrahere non licite, sed tamen valide, quia isti non sunt proprie Religiosi. Dian. par. 2. tract. 2. resol. 30. Thefaur. de Penis. Verb. Matrim. par. 2. cap. 4. ubi alios DD. citat; & Tambur. lib. 8. de Matrim. tract. 5. cap. 6. §. 2. num. 8. & 9.

24. *Quer.* An quis possit valide professionem Religiosam facere post consummatum Matrimonium absque consensu sui conjugis? *Resp.* Negative. cap. Notificasti 35. qu. 1. & cap. Veniens. De convers. conjugat. Ideo, si quis credat conjugem suum mortuum, & emittat professionem Religiosam, eo adveniente tenetur reverti ad illum, & cum illo cohabitare. Verum tamen est, quod non poterit petere debitum, sed tantum reddere cap. Placet. De Convers. conjug. Sanchez lib. 7. disp. 34. & 35. num. 2.

25. *Quer.* Utrum uterque conjux post consummatum Matrimonium possit de communi consensu ingredi Religionem, & profiteri, aut continentiam vovere? *Resp.* Affir-

mative. cap. Qui uxorem 33. qu. 5. Sanchez lib. 7. disp. 33.

26. *Quer.* An unus conjux possit ingredi Religionem post consummatum Matrimonium altero conjuge remanente in saeculo? *Resp.* Affirmative, tribus conditionibus concurrentibus. Prima, ut qui remanet in saeculo, sit provectae aetatis, & non subiectus periculo Incontinentiae. Secunda, ut emittat votum simplex castitatis; & Tertia, ut Episcopi licentia interveniat. Bonacin. dict. qu. 3. punct. 4. num. 12.

27. *Quer.* Quodnam sit impedimentum proveniens a Cognatione? *Resp.* Esse illud, quod nascitur ob conjunctionem, seu attinentiam inter se volentium simul contrahere, vel respectu sanguinis, vel respectu Sacramenti, vel respectu adoptionis; ideoque cognatio est triplex, alia Naturalis, alia Spiritualis, & alia Legalis. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 50. & Maltrius d. disp. 20. num. 102.

28. *Quer.* Quid sit cognatio Naturalis? *Resp.* Est vinculum personarum descendendum ab eodem stipite per carnalem propagationem. Sanchez ubi supra, & Tambur. de Triplici jure d. lib. 8. cap. 5. num. 1. Vocatur autem haec cognatio consanguinitas. Maltrius dict. num. 102.

29. *Quer.* Ad quem usque gradum cognatio Naturalis dirimat Matrimonium? *Resp.* De jure naturae dirimere matrimonium in primo gradu, tam in linea recta, nempe inter Patrem, & filiam; & inter Matrem, & filium; quam in linea transversali, nempe inter fratrem, & sororem. Bonac. de Matrim. qu. 3. punct. 5. §. 1. num. 12. ubi citat Doctores; quamvis alii id negent in linea transversali de jure naturae. Tambur. dict. lib. 8. cap. 5. num. 22. & tenuit Gloss. in cap. 1. Verb. Honestissima. 35. quest. 2. Diana par. 3. tract. 4. resol. 289. De Jure vero Ecclesiastico in linea transversali cognatio naturalis dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive. cap. Fin. de Consanguin. Perez de Matrim. disp. 28. sect. 7. num. 5. Extra dictum gradum licitum est matrimonium inter transversales; ac etiam inter ascendentes, & descendentes ut recedendo ab opinione antiquorum docent moderni, quos allegat, & sequitur Tambur. d. cap. 5. num. 21. & scribit Fagnan. in cap. Vir, qui. num. 22. & seqq. De Consanguin. & Affinitat. tomo 6. pag. 78. & 79.

30. *Quer.* Quae, & quot scire oporteat Parochum ad recte numerandos consanguinitatis gradus? *Resp.* Scire oportet, quid sit Stipites? quidve, & quotuplex sit linea? Stipites est illa persona, a qua omnes aliae personae, de quarum cognatione agitur, descendunt. Linea est illa series personarum, quae per varias generationes descendunt a praedicto Stipite, Linea vero alia est recta, quae ascendentes, & descendentes numerat; & alia est transversalis, quae collaterales amplectitur; & haec subdividitur, ut alia sit aequalis, & alia inaequalis. Ideo ad numerandos gradus, oportet numerare generationes; & quot sunt generationes, tot sunt gradus, Stipite dempto. Et in materia matrimonii gradus remotior attenditur, qui si respectu Stipitis sit extra quartum gradum, tunc

tunc potest fieri matrimonium cum quocunque alio collateralis. Si verò gradus remotior sit in quarto gradu, vel supra; tunc opus est dispensatione Pontificia, & pro ea obtinenda oportet narrare non solum gradum remotiorem, sed etiam proximiorum, ut latius docet Tambur. *dict. cap. 5. à num. 1. & seqq.* & præcipue num. 16. ac latissime eod. lib. 8. tract. 1. de *Dispensat. cap. 9. §. 7.* Item Maffius in 4. sent. disp. 7. quest. 17.

31. *Quer.* Quid sit cognatio Spiritualis? *Resp.* Est vinculum, seu connexio inter aliquas personas procedens ex regeneratione spirituali, id est, ex Baptismo, vel Confirmatione, nam ex aliis Sacramentis hujusmodi cognatio non oritur. Tambur. *dict. lib. 8. cap. 5. de Impediment. §. 2. num. 1.* Maffius in *Theol. Mor. d. disp. 20. num. 103.*

32. *Quer.* Quas personas complectatur Spiritualis cognatio? *Resp.* De jure antiquo plures personas complecti; at de jure novissimo, nempe ex Concilio Tridentino, in baptismo baptizatus conjungitur spiritualiter cum baptizante, necnon cum Patrimo, & Patrima. Et ulterius Pater, & Mater baptizati, pariter remanent spiritualiter conjuncti cum baptizante, & cum Patrimo, & Patrima. Concil. Trident. de *Reform. Matrim. sess. 24. cap. 2.* Tambur. *d. cap. 5. §. 2. num. 2.* & idem dicendum est in Confirmatione respectiva ad Confirmantem.

33. *Quer.* An hæc Spiritualis cognatio contrahatur inter Patrimos ex una, & genitores baptizati, seu confirmati ex alia, si hi ignorentur omnino à Patrimis, puta quia filius fuit expositus, & ut vulgo dicitur *postò alla Casa di Dio*? *Resp.* Affirmative, quia ignorantia non potest impedire, quod Ecclesia ordinavit. Aversa de *Matrimoni. quest. 16. sect. 2. vers. Habet hæc spiritualis.*

34. *Quer.* Si quis Procuratorio nomine suscipiat puerum in Baptismo, vel in Confirmatione, an contrahat spiritualem hanc cognationem? *Resp.* Negative; quia ipsa contrahitur à mittente, seu mandante, cujus nomine Procurator tenet, prout respondit Sacra Congregatio in una Veronen. 29. Martii 1582. & 15. Martii 1631. teste Nicolio in suis *Elucidat. Civilib. lib. 1. tit. 10. impedim. 4. vers. An verò.* Et ego dixi supra de Sacramento Baptismi *cap. 115. num. 63. & Decis. 40. de Baptismo*, notatque Tambur. de *Baptismo. lib. 2. cap. 4. §. 4. num. 6.*

35. *Quer.* Si plures Patrimi eundem puerum de fonte suscipiant, vel in confirmatione teneant, quis eorum contrahat hanc cognationem? *Resp.* Cavendum esse in facto, ne plures suscipiant, sed quòd unus tantum Patrimus teneat, vel saltem unus, & una in baptismo juxta decretum Concilii Tridentini *cap. 2. de Ref. Matrim. sess. 24.* Porro, si de facto plures tenerent, seu levarent, & incertum esset, quis eorum fuisset designatus ad tenendum, & quis primus tenuisset, omnes contraherent spiritualem cognationem, ut respondisse Sac. Congregationem testatur Fagnan. in *cap. Ex litteris. num. 5. De Cognat. Spiritual. tom. 6. pag. 70.* & habetur Textus, & ibi Gloss. in *cap. fin. de Cognat. Spiritual. in 6. Secus*

autem, si de primo tenente constaret. Concil. Trident. *dict. cap. 2. sess. 24.* Tambur. de *Baptismo. lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 9.* Ego de *Confirm. Decis. 60.*

36. *Quer.* An Patrimus non confirmatus tenens puerum in confirmatione, contrahat spiritualem hanc cognationem? *Resp.* Negative, juxta mentem, & responsum ejusdem Sacre Congregationis in una Licien. 13. Junii 1654. de qua assertor est novissime Pignatellus in suis Consultationibus Canoniciis *tom. 1. Consultat. 10. num. 3.* ideòque non est amplius insistendum in ambiguitate Doctorum circa hoc questum, de qua Tambur. de *Baptismo. lib. 2. cap. 4. §. 2. num. 4.* Vide supra *cap. 116. num. 32. & Decis. 59. de Confirm.*

37. *Quer.* An Patrimus tenens puerum in privata baptismi administratione, nempe dum datur ei aqua domi ob periculum mortis, contrahat hanc cognationem? *Resp.* Esse hinc inde contrariam Doctorum opinionem, quos refert Tamburin. de *Baptismo. dict. lib. 2. cap. 4. §. 3.* ubi negantibus adhæret, quia nulum jus decernit eam contrahi, nisi in solemniori administratione, quamvis non ita sit de baptizante, nam iste contrahit etiam private baptizans. Dian. *par. 3. tract. 4. resol. 18.* & Maffius *dict. disp. 20. num. 103.* Vide meam *Decis. 37. de Baptismo.*

38. *Quer.* Quid juris, si hæc cognatio superveniat post contractum matrimonium? *Resp.* Eam impedire petitionem, & redditionem debiti conjugalis, donec dispensatio obtineatur. Tambur. de *Baptismo. lib. 2. cap. 2. §. 2. num. 10. & cap. 4. §. 2. num. 17.*

39. *Quer.* An Patrimus, & Patrima contrahant inter se hanc cognationem? *Resp.* Negative. Maffius *d. num. 103.*

40. *Quer.* Quid sit cognatio legalis? *Resp.* Esse attentionem personarum ex adoptione alicujus in filium provenientem. Nicol. in *Lucubrat. Civilib. lib. 1. tit. 10. num. 39.*

41. *Quer.* Quas personas afficiat hæc cognatio legalis, & usque ad quem gradum? *Resp.* Cognatio legalis vel consideratur inter ascendentes, & descendentes, & hæc impedit, & dirimit matrimonium usque ad quartum gradum, etiam dissoluta adoptione. Vel de ea queritur inter collaterales, & hæc afficit personam adoptatam ex una, & filios legitimos, ac naturales simul adoptantis in ejus potestate existentes ex alia; & hæc durat, quousque dissolvatur adoptio, vel filius legitimus, & naturalis emancipetur, vel alias per mortem Patris incipiat esse sui juris. Nicol. ubi supra *d. num. 39.* & Diana *part. 4. tract. 4. resol. 121.* ubi notat, hanc cognationem non afficere filios, seu filias naturales tantum adoptionis, neque ejus fratres, aut sorores. Tandem vel consideratur hæc cognatio inter filium adoptatum, & uxorem Patris adoptantis, & inter hos intrat impedimentum, & durat etiam dissoluta adoptione, *cap. Diligere. 30. quest. 3. cap. Unico. De cognat. legal.*

42. *Quer.* An hæc cognatio legalis proveniat ex simplici adoptione? *Resp.* Plures Doctores affirmare; sed plurimos negare, docentes eam provenire ex solemniori adoptione tantum, quæ in jure appellatur *Arrogatio*;

236 Erot. Eccl. Cap. CXXXIII. De Impedimentis &c.

& fit, quando Arrogatus transit in potestatem Arrogantis cum omnibus suis bonis, & fit ei hæres necessarius; nam impedimenta matrimonii sunt strictè interpretanda. Sanchez de Matrimon. lib. 7. disp. 63. num. 9. Sed contrarium docent Scotistæ apud Mastrium dict. quest. 20. num. 104. Quamvis Tamburin. De Matrim. impedim. lib. 8. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 9. utramque opinionem probabilem dicat; & subdat, quod si hæc cognatio superveniat matrimonio jam contracto, non impedit petere, vel reddere debitum conjugale.

43. *Quer.* Quid, & quotuplex sit impedimentum criminis dirimens matrimonium? *Resp.* Esse illud crimen, quod consistit in occisione alterius conjugis, vel in adulterio cum promissione futuri matrimonii; & cadit in quatuor casibus. Primus est, si homicidium unius conjugis sequatur ex conspiratione alterius conjugis, & personæ, cum qua intendit contrahere matrimonium, & ad talem effectum. Sanchez De Matrim. lib. 7. disp. 78. num. 8. & 13. ubi requirit, quod dicta intentio contrahendi matrimonium sit finis principalis homicidii, & sit explicita, non autem mente retenta. Secundus est, si unus conjux committat adulterium cum alia persona, & postea, ut cum ea contrahere possit, conjugem occidat, quamvis illa persona nihil sciverit de homicidio futuro. cap. Significavit nobis. De eo, qui duxit. Textus est, si adulterium committat, sine homicidio, sed cum promissione futuri matrimonii, post mortem conjugis. cap. Si quis vivens. cap. Relatum. 31. quest. 1. & dict. cap. Significavit nobis. Quartus est, si post commissum adulterium, adulteri attentent de facto inter se matrimonium contrahere, vivente adhuc altero conjuge. Tambur. De Matrim. dict. lib. 8. cap. 6. §. 1. 2. 3. & 4. ubi hos omnes casus ampliacionibus, & limitationibus ornat.

44. *Quer.* An ignorantia impedimenti efficiat, ut impedimentum non obstat valori matrimonii? *Resp.* Negative, ut probat Gobat. De Sacram. tract. 9. casu prim. num. 67. & casu 10. a num. 202. & seqq. ubi reprobat Bautium, & Dianam male asserentes contrarium.

45. *Quer.* An prædicti casus locum habeant inter infideles, ita ut homicidium, vel adulterium cum dicta promissione patratum dirimat matrimonium inter delinquentes ipsos? *Resp.* Negative, quia criminis impedimentum à solo jure Ecclesiastico provenit, & sic non afficit infideles, qui sunt extra Ecclesiam; ideoque validum fuit matrimonium à Davide cum Bathseba contractum, non obstante Uriæ interfectione, jussu Davidis sequuta. Tambur. ubi supra §. 5. & Nicol. dict. lib. 1. tit. 10. num. 40. ubi notat, intrare hoc impedimentum criminis, si fuerit patratum ab uno fidei cum conjuge infidei, vel è contra, etiam ad procurandam conversionem infidelis, quia recusat Ecclesia compensare lucrum cum tali damno. cap. 1. De Conversione infidel.

46. *Quer.* Quid sit impedimentum disparitatis cultus? *Resp.* Hoc impedimentum impedire, & dirimere matrimonium, quod contraheret baptizatus cum non baptizata, licet

esset catechumena; & quamvis non reperitur textus expressus de hoc impedimento, ut disputando docet Pontius De Matrim. lib. 7. cap. 47. nihilominus ex inveterata consuetudine Ecclesiæ de eo dubitari non potest. Tambur. ubi supra cap. 7. num. 1. & Mastrius disp. 20. num. 107.

47. *Quer.* An nullum censendum sit matrimonium, si contrahatur à baptizato cum muliere hæretica, seu apostata à fide, vel è contra? *Resp.* Negative, quia matrimonium est validum. cap. Cave. & ibi Gloss. 28. quest. 1. quamvis sic contrahens absque legitima causa peccaret mortaliter, & esset suspectus de fide; ideoque Inquisitores contra eum procedere possent. Dian. par. 4. tract. 7. resol. 5. & de jure dos mulieris contrahentis cum hæretico confiscanda venit. cap. Decretum. 14. De Heret. in 6. Dian. par. 4. tract. 8. resol. 62.

48. *Quer.* An matrimonium ex dispensatione Pontificia possit constare inter fidelem, & infidelem; & inter catholicum, & hæreticam? *Resp.* Affirmative, dummodo proles possit catholicè educari, & sic quoad regiones, in quibus hæreses impunè grassantur, censuit Urbanus Octavus die 14. Martii 1630. & circa Chineses, & Japonios tenuit Lessius in consultatione Romæ habita, prout testatur Nicolius dict. tom. 1. Lucubrat. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 42. ex quo inferit, hoc impedimentum disparitatis cultus non esse de jure naturæ, vel de jure divino, sed tantum de jure Ecclesiastico; & licet vigeret etiam in lege Moysayca; tamen dicendum est, vel fuisse exæmoniale, & sic nunc cessare; vel si morale fuisset, tale fuisset quoad obligationem, non quoad nullitatem, & allegat Concil. Tolet. III. in cap. 14.

49. *Quer.* Quid agendum, si infidelis uxoratus convertatur ad fidem, sed ejus uxor nolit converti? *Resp.* Si potest cohabitare cum illa absque contumelia Creatoris, & fidei Christianæ, bonum est, & cum illa cohabitaret secundum Apostoli consilium. 1. Cor. 7. 12. Quod si de contumelia timeatur, eo quia conjux infidelis studeat fidelem à fide avertere, vel ad peccatum inducere, vel Christi nomen nisi cum respectu vult audire, aut satagit familiam à fide Christiana retrahere; tunc potest fidelis aliam uxorem fidelem accipere, juxta Text. in cap. Gaudemus. De Divortiiis. Et idem est, si ob nimiam distantiam non possit haberi notitia de intentione conjugis infidelis, sed in hoc casu præcedere debet Apostolica facultas, ut de Turcis convertis, Persis, & Indis servatum fuisse sub Gregor. XIII. Clemente VIII. & Paulo V. ostendit Nicolius d. lib. 1. tit. 10. num. 43.

50. *Quer.* Quale sit Vis impedimentum? *Resp.* Esse illud, quod reddit matrimonium nullum, eo quia contrahitur non libera voluntate, sed coacta per vim, & metum, Tamburin. dict. lib. 8. tract. 3. de Spons. cap. 2. §. 2.

51. *Quer.* Quid sit Vis, & Metus? *Resp.* Vis, & Metus est trepidatio mentis, causa instantis, vel futuri periculi. lib. 1. ff. De quod met. causa.

52. *Quer.* Quotuplex sit Vis, & Metus? *Resp.*

Erot. Eccles. Cap. CXXXIII. De Impedimentis &c. 237

Resp. Est duplex, alter levis, de quo in jure non habetur ratio; & alter gravis, qui dicitur cadens in constantem virum; & hic cognoscitur ex circumstantiis arbitrio boni viri; & regulariter talis censetur ex objecto mali, si inferatur metus mortis, mutilationis, cruciatus atrocis, longi carceris, exilii diuturni, servitutis, stupri, sive in femina, sive in viro, amissionis status honorifici, vel omnium bonorum, aut magnæ partis, vel rei magnæ, & notabilis, prout etiam, si intret metus infamiæ, injustæ excommunicationis, ac metus reverentialis, quo quis timet offensam diuturnam Patris, vel Superioris, cum vultus asperitate, cum verberibus, aut alia mala tractatione. Sanchez De Matrimon. lib. 4. disput. 4. & seqq. Nicol. dict. lib. 1. tit. 10. num. 44. ubi subdit, præmissa cavere metum gravem, licet non nobis, sed personis aliis nobis conjunctissimis quis illa minetur, nempe patri, matri, filiis &c. l. Ubi quidem 8. ff. *Et quod met. caus.* dummodo prædicta mala probabiliter immincant. Et tandem addit, causam metum gravem etiam per preces importunas, id est, sæpius, instantes, inverecondæque replicatas. Dian. part. 3. tract. 5. res. 20. Matritius dict. disp. 20. num. 108. & Lezana Consult. 47.

53. *Quer.* Quomodo fiant probationes vis, & metus? *Resp.* Eas posse fieri etiam per testes domesticos, singulares, & alios inhabiles; nec non per præsumptiones, ut latè ostendit Rota apud Ludovis. Decis. 326. & part. 1. recent. Decis. 643. quæ Magistralis appellatur in hac materia.

54. *Quer.* Quo jure nullum sit matrimonium contractum per vim, & metum? *Resp.* Alios dicere, jure naturali, alios verò tantum jure Ecclesiastico; ideòque matrimonia infidelium per vim, & metum contracta non esse ipso jure nulla, quia vis, & metus, licet gravis, non facit contrarium involuntarium simpliciter, sed tantummodo secundum quid. Dian. part. 4. tract. 4. res. 33. Nicol. d. tit. 10. num. 45. Lezana d. Consult. 47.

55. *Quer.* Qualis metus dirimat matrimonium? *Quer.* Metum levem nequaquam dirimere. cap. De muliere 6. ubi Gloss. De Sponsalib. cap. Cum dilectus. 6. de his, quæ vi. Metum verò gravem dirimere matrimonium tribus concurrentibus conditionibus. Primo, ut sit injustus, nempe, ut quis non possit juridicè compelli ad matrimonium. Ludovis. Decis. 376. & Diana part. 3. tract. 4. res. 206. Quamvis de nullitate matrimonii agi posse, ubi per justam sententiam quis fuit à Judice coactus cum gravi pœna, sentiat Diana part. 4. tract. 4. res. 33. Secundo, ut metus sit incussus à causa libera, scilicet ab homine; unde timor Inferni, vel naufragii, vel infirmitatis non dirimit. cap. Porrectum. 13. De Regular. Tertiò, ut sit incussus ad hoc, id est, ad extorquendum consensum; quare, qui ad sedandas inimicitias, vel ad evadendam mortem alia ex causa inferendam, contrahit matrimonium, non potest de nullitate illud impugnare. Nicol. d. num. 45.

56. *Quer.* Si pars metum passa velit ratificare matrimonium nullum, an possit pars,

quæ metum incussit, resiliere, vel teneatur ipsa consentire? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed magis probabile esse, quòd possit resiliere, & nisi velit, non possit cogi ad ratificandum. Castropal. De Sponsalib. disput. 2. punct. 12. num. 2. & Sanchez De Matrim. lib. 4. disp. 15. num. 5.

57. *Quer.* An matrimonium metu gravi contractum, cessante metu censetur per copulam cum libero consensu revalidatum? *Resp.* Negative, nisi iterum præstetur consensus cum Parocho, & testibus. Pontius de Matrimon. lib. 4. cap. 14. num. 12. Rota apud Farinac. in collect. de contract. decis. 265. num. 8. Thesaur. de Pen. verb. Matrimonium cap. 7. num. 2. Sacra Congregatio apud Fagnan. in cap. De illis, num. 13. de Despons. impub. tom. 6. pag. 23.

58. *Quer.* Quam pœnam incurrant cogentes aliquem inire matrimonium per vim, & metum? *Resp.* Si cogens sit persona publica, Judex, aut Magistratus, incurrit excommunicationem latæ sententiæ per Concil. Trident. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 9. Quæ pœna affici etiam Judices Ecclesiasticos injustè cogentes ad matrimonia, & quoscunque alios Judices, licet non cogentes directè, saltem impediētes, ne quis cum aliqua contrahat, docent plures Doctores, quos allegat Thesaur. de Pen. Ecclesiasticis dict. cap. 7. ubi ait, probabilem esse opinionem, quòd eadem excommunicatio afficiat etiam parentes, & alios, qui privata auctoritate cogunt filios, vel subditos ad matrimonia, vel impediunt ne contrahant; & concordat Diana, part. 1. tract. 2. res. 74. Dicta autem excommunicatio nulli est reservata. Thesaur. ibid. vers. Limita tertiò.

59. *Quer.* Qualis Ordo dirimat matrimonium? *Resp.* Omnis Ordo Sacer, nempe Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotii: quod in Ecclesia Latina est de fide. Concil. Tridentin. sess. 24. de Reform. Matrimon. can. 9. Matritius in Theolog. Moral. dict. disput. 20. num. 109.

60. *Quer.* An Græci ordinibus Sacris insigniti possint Matrimonium contrahere? *Resp.* Tamburin. dict. lib. 8. de Matrimon. tractat. 1. cap. 9. num. 4. allegare Arcudium virum doctum ex Græcis, & in suis ritibus peritissimum, qui asserit, Græcos, licet Sacris Ordinibus insignitos, validè matrimonia contrahere. Porro id negant communiter Doctores, inter quos Azor. tom. 1. tract. 13. cap. 14. quest. 7. & Nicol. dict. tit. 10. num. 48. ubi docent, Græcis Sacerdotibus, vel Diaconis licitum quidem esse in matrimonio ante ordines sacros inito, continuare; sed non etiam post habitos sacros ordines matrimonia inire; & hoc non vi voti, sed virtute ipsorum sacrorum ordinum. At Abbas Papadopoli asserit, Græcos contrahentes Matrimonium, quamvis in Sacris constitutos, validè, sed illicitè contrahere; eò quia ipsi in ordine sacro non emittunt Votum solemne castitatis. Ita in suis Pranotionibus Mystagog. *Resp.* 2. Sect. 2. num. 12.

61. *Quer.* Quam speciem peccati committat ordinatus in sacris, matrimonium de fa-

cto contrahens? *Resp.* Si contrahens etiam consummet, committit sacrilegium; ut passim omnes Doctores scribunt; dummodo ordinatus in Sacris sit latinus; nam si Græcus foret, iste non committeret sacrilegium, quia Græci non vovent castitatem; ut ostendit Tamburin. in Decalog. lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 3. & Abbas Papadopoli d. num. 12.

62. *Quer.* Quas penas incurrat ordinatus in Sacris contrahens matrimonium? *Resp.* Ipsum incurrere I. In excommunicationem per Clem. unic. De Consanguin. II. Suspensionem à divinis, quamvis alii de hac pena dubitent. Sanchez lib. 7. disp. 85. num. 2. III. Irregularitatem vel ex delicto, vel ex bigamia similitudinaria. Sanchez ibidem. IV. Privationem beneficiorum saltem post sententiam Judicis. Garz. De Benef. part. 11. cap. 8. num. 17. nec non pensionum. Thesaur. de Pœnis part. 2. verb. Apostasia cap. 4. Et V. Fit suspensus de hæresi, & Inquisitores possunt contra eum procedere. Idem Thesaur. d. part. 2. verb. Matrimonium, cap. 4. ubi notat, Excommunicationem antedictam nulli esse reservatam, sed incurri ex solo matrimonio rato, licet non consummato; quod secus est in aliis penis.

63. *Quer.* An per susceptionem ordinis Sacri dirimatur matrimonium antea initum, si nondum fuerit consummatum? *Resp.* Negative, quia hoc concessum est solum facienti Professionem Religiosam. Extravag. Antiquæ. De Voto. Tambur. dict. lib. 8. de Matrimon. tract. 5. cap. 6. §. 2. num. 13. ubi id affirmat, etiam si Conjugatus reciperet Episcopatum; quod tamen intelligendum est, si promoveatur absque dispensatione Pontificia, nam ea intercedente potest dissolvi matrimonium ratum non consummatum per sumptionem ordinis Sacri; prout respondisse Sacram Congregationem die 20. April. 1613. testatur Fagnanus in cap. Perniciosum num. 61. de Offic. ordin. tom. 2. pag. 433.

64. *Quer.* Quid juris, si uxoratus absque dispensatione sumat ordinem sacrum? *Resp.* Valide quidem ordinari, illicite tamen, & cum peccato mortali; & si uxor instet, ut ad eam revertatur, debet reverti, & reddere debitum, non autem petere; ipse tamen est suspensus, ac irregularis, ut supra diximus, & docet Tambur. dict. lib. 8. tract. 7. §. 2.

65. *Quer.* Quodnam sit Impedimentum Ligaminis? *Resp.* Est illud, quod insurgit ex præcedenti matrimonio nondum per mortem dissoluto. Nam nec una mulier plures viros, nec unus vir plures simul uxores habere potest. tot. tit. Decretal. de Sponsa duor. Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 80. Mastrius d. disp. 20. num. 110.

66. *Quer.* Quo jure prohibita sit pluralitas uxorum, & maritorum? *Resp.* Jure divino Naturali. Concil. Tridentin. sess. 24. de Matrimon. can. 2. & cap. Gaudemus. De Divortiiis.

67. *Quer.* Si jure divino Polygamia prohibita dicitur, quomodo legitur, Sanctos Patres habuisse frequenter plures uxores simul? *Resp.* Eos duxisse plures uxores ex divina dispensatione, quæ eis concessa fuit ad plures

gignendos filios veri Dei cultores, & quæ eis innotuit ex quadam specifica inspiratione. dict. cap. Gaudemus de Divortiiis. Sanchez dict. disp. 80. & Clemens Abbas Tofius in Historia Indiarum tom. 2. in discursu primo de Polygamia, ubi ex S. Augustino etiam hanc rationem reddit, Hebræis Deum concessisse Polygamiam ad significandum, quod Christus erat generaturus animas spirituales filias, non ex sola Synagoga, sed etiam ex Gentilitate, tanquam ex pluribus mysticis sponis.

68. *Quer.* Si Deus dispensando concessit viro ducere plures uxores, cur non legatur dispensatum, & concessum mulieri ducere plures viros? *Resp.* Quia mulierem nubere pluribus viris eodem tempore repugnat fini principali matrimonii, nempe procreationi prolis, quæ ex confusione seminum remanet impedita, ut experientia demonstrat in meretricibus; at virum habere plures uxores, non repugnat eidem principali fini, quia potest eas omnes fecundare, sed solum implicat cum fine secundo, nempe pace domestica, & significatione unionis Christi cum Ecclesia. Sanchez d. lib. 7. de Matrimon. disp. 80. ubi latè. & Nicol. in Lucubr. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 51.

69. *Quer.* An infideles olim potirentur, & nunc possunt prædicta dispensatione; ita, ut non peccent, ducendo plures uxores? *Resp.* Non esse inter se concordēs Doctores in quaesito hoc resolvendo; sed probabilis videtur sententia, quod infideles non peccent, si amore prolis plures ducant uxores, & sic possint dispensatione antiqua. S. Thomas in Supplem. q. 65. art. 1. & 2. & Nicol. ubi supra num. 51.

70. *Quer.* Si infidelis habens plures uxores venit ad baptismum, quam possit retinere ex ipsis uxoribus? *Resp.* Illam, quam primam in uxorem duxit, si & ipsa suscipiat baptismum, vel secum velit habitare absque injuria Creatoris. Quod si id haberi non possit, tunc poterit unam ex aliis pro libito desponsare; nam prima excepta, aliz non sunt veræ uxores. dict. cap. Gaudemus. De Divortiiis. & Sanchez dict. lib. 7. disputat. 40. numer. 14.

71. *Quer.* Quæ sint cautela adhibenda ad evitandum vitium Polygamie? *Resp.* Ut in nuptiis celebrandis pro personis de Parochia, præmittantur denunciationes. Si alter ex sponis conjux dicatur mortuus, ostendatur certa probatio per juratam depositionem testium de visu. Si unus ex sponis sit extraneus, non admittantur ejus attestaciones de libertate; nisi proveniant ab ejus Episcopo; vel Vicario generali, cum propria subscriptione, & sigillo. Et tamen, si testes examinandi sint super libertate sponsum, servetur instructio Sacrae Congregationis, quæ passim typis impressa in Cancellariis Episcopalis reperitur; & ponitur à Nicolio dict. lib. primo tit. 10. numer. 53. Lucubrationum Civilium.

72. *Quer.* Quæ pena sit plestendus, qui Polygamiam dolose incurrit? *Resp.* Est suspensus de fide, & puniri debet per Inquisitionis officium. Dian part. 4. tract. 7. resol. 4. Pigna.

Pignatell. tom. 1. consuls. 115. & poena est tristemium, seu fustigationis, & carceris perpetui ex Decreto Urbani Octavi, quod refert Nicolius ubi supra sub num. 53. in fine.

73. *Quer.* Quid sit impedimentum publicæ honestatis, & unde oriatur? *Resp.* Esse impedimentum ob quandam decentiam indutum: & oriri vel ex sponsalibus jam contractis: Vel ex matrimonio rato, non consummato: In primo casu dirimit matrimonium in primo gradu tantum; ita, ut unus ex sponsis non possit nubere parenti prioris sponsi, eidem in primo gradu conjuncto. In secundo casu dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè. Nicol. *dist. lib. primo tit. 10. num. 54.* & Tambur. *dist. lib. 8. de Matrimon. cap. 11.*

74. *Quer.* An sponsalibus validè ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum hoc publicæ honestatis? *Resp.* Olim Doctores fuisse discordes in responsione, quia alii asserabant, alii verò negabant. Porro Sacra Congregatio die 6. Julii 1658. censuit, impedimentum non esse sublatum; & Sacra Congregationis sententiam Summus Pontifex Alexander Septimus approbavit, & sic sentiendum decrevit; quare nunc certum est, impedimentum etiam sponsalibus dissolutis durare. Nicol. *dist. lib. 1. tit. 10. num. 54.*

75. *Quer.* An hoc impedimentum publicæ honestatis locum habeat, si sponsalia ex aliquo defectu sint nulla, puta ex defectu consensu, vel ob aliquod impedimentum occultum? *Resp.* Non habere locum. Hurtad. *De Matrim. disp. 21. diff. 1. num. 3.* & Tambur. *d. cap. 11. §. 2. num. 2.* ubi notat Sanchez, Pontium, & alios contrarium sentire.

76. *Quer.* An intret prædictum impedimentum ex sponsalibus conditionatis? *Resp.* Ante impedimentum conditionis non intrare, quia nondum sunt sponsalia; sed conditione adimpleta, intrare impedimentum; jam enim sponsalia valida facta sunt. Tambur. *dist. cap. 11. §. 2. num. 9.*

77. *Quer.* An præfatum publicæ honestatis impedimentum oriatur ex matrimonio rato, sed invalido? *Resp.* Cum distinctione, quæ menti est valde mandanda. Vel invaliditas provenit ex defectu consensu, puta ob errorem in personam, aut per vim, aut metum; & in hoc casu impedimentum publicæ honestatis non oritur. Vel invaliditas provenit ex quocunque alio impedimento, vel defectu, & in hoc casu oritur. Tamburin. qui alios allegat *dist. lib. 8. de Matrim. tract. 1. De impedim. cap. 11. §. 3. num. 1. 2. & 3.* ubi advertit, quod si matrimonium sit nullum ex defectu sufficientis consensu ob non debitam ætatem, in hoc casu non oritur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato; sed oritur ex sponsalibus, quia licet matrimonium non valeat, valent sponsalia; quod repetit idem Tambur. *dist. lib. 8. tract. 3. De Sponsal. cap. 2.*

78. *Quer.* An ex Matrimonio rato sub conditione de futuro hoc impedimentum resultet? *Resp.* Non resultare, si conditio non compleatur; resultare conditione completa. Tambur. *d. tract. 1. cap. 11. §. 3. num. 5.*

79. *Quer.* An conditione completa super Matrimonio apposita, impedimentum resultans dirimat usque ad primum gradum tanquam à solis sponsalibus proveniens; vel dirimat usque ad quartum, tanquam à Matrimonio proficiscens? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, sed magis probabilem reputari, quod dirimat solum usque ad primum gradum, & habeatur tanquam proveniens à sponsalibus, eò quia matrimonium contractum sub conditione de futuro videtur habere vim sponsalium; nam conditione adimpleta adhuc opus est consensu ad perficiendum matrimonium. Tambur. *dist. §. 3. num. 6. & dist. lib. 8. tract. 4. §. 4. numer. 11.* ubi ait, utramque opinionem esse probabilem.

80. *Quer.* Quid, & quotuplex sit Affinitas? *Resp.* Affinitas est propinquitas, seu attinentia quædam ex copula carnali proveniens inter consanguineos viri, & mulierem ab ipso viro cognitam; nec non inter consanguineos mulieris, & ipsum virum, qui cum ea copulam habuit. Est autem duplex. Una est copula licita, nempe ex matrimonio, & hæc dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè; & altera ex copula illicita; & hæc dirimit matrimonium solummodo usque ad secundum gradum. *cap. Non debet. De Consanguin. & affinit. Concil. Trid. sess. 24. de Matrimon. cap. 4.*

81. *Quer.* Quid juris, si contracto jam Matrimonio superveniat affinitas, nempe, quia maritus habeat carnalem copulam cum consanguinea uxoris suæ in primo, vel secundo gradu? *Resp.* Quod ipse maritus ob hanc incestuosam copulam non potest petere debitum cum uxore sua, sed solum redde, donec dispensationem obtineat. Nicol. *d. lib. 1. tit. 10. num. 55.*

82. *Quer.* Quid dicendum, si maritus cognoscat carnaliter consanguineam uxoris suæ in tertio, vel quarto gradu? *Resp.* Incestum quidem committere, sed non incurrere poenam non petendi debitum, quia hæc inflicta est ob copulam incestuosam in primo, vel secundo gradu tantum. Tamburin. *d. lib. 8. tract. 1. cap. 12. §. 3. num. 3.*

83. *Quer.* An jus petendi debitum à marito perdat, si cognoscat carnaliter aliquam ex consanguineis suis? *Resp.* Negative. Tambur. ubi supra d. num. 3.

84. *Quer.* Quando excusetur incestuosus conjux à poena non petendi debitum? *Resp.* Si copulam patitur per vim, aut per metum, vel ex ignorantia juris, aut facti. Diana *par. 11. tract. 5. resol. 38.*

85. *Quer.* Quomodo intelligenda sit illa communis Regula, Affinitas non parit affinitatem? *Resp.* Sic esse intelligendam, ut hodie nulla sit affinitas inter consanguineos mariti, & consanguineos uxoris ad invicem; eò quia affinitas afficit tantummodo ex una parte uxorem, & consanguineos mariti; & ex alia maritum, & consanguineos uxoris: unde fit, ut duo fratres possint sine dispensatione accipere in uxores duas sorores; prout etiam Pater, & filius, Matrem, & filiam. Sanchez *de Matrimon. dist. lib. 7. disp. 67. num. 3. &*

240 Erotem, Eccl. Cap. CXXXIII. De Impedimentis &c.

3. & Tambur. *diff. lib. 8. cap. 12. tract. 1. §. 1. num. 4. & 5.*

86. *Quer.* An Affinitas afficiat consanguineos conjugum viventes, durante Matrimonio tantum; vel etiam eos, qui nascuntur, soluto jam Matrimonio? *Resp.* Afficere etiam eos, qui soluto jam matrimonio (puta per mortem unius ex conjugibus) nascuntur; ideoque si Petrus habeat uxorem, & ea mortua nascatur aliqua filia ex sorore, vel nepte ejusdem uxoris pramortuæ, & crescat, ita, ut efficiatur viripotens, non poterit nubere eidem Petro, tanquam ejus affinis. Licet enim non esset nata, quando vivebat uxor Petri, & sic non esset ejus uxoris tunc consanguinea; tamen esse non potest, quod postquam nata est, non numeretur inter consanguineos præfata uxoris, quamvis præmortuæ; & per consequens censetur affinitate conjuncta cum ipso Petro. Ita Tamburin. *diff. lib. 8. de Matrimon. tract. 1. cap. 12. §. 1. num. 7.* ubi ait, apud nullos reperisse propositum hunc casum, qui tamen in praxi evenire potest, unde est memoriæ mandandum.

87. *Quer.* An copula carnalis habita ab infideli cum infideli causet impedimentum affinitatis cum ipso, & aliis consanguineis mulieris conversis ad fidem? *Resp.* Affirmative, ut probat Ricciullus *de Personis extragrem. lib. 2. cap. 3.* & Jordan. *tom. 1. pag. 255. num. 259.*

88. *Quer.* An impedimentum affinitatis oriatur ex quacunque carnali copula? *Resp.* Negative, sed tantum ex copula carnali consummata intra vas sceminæ, ubi effundatur semen. Idcirco actus quicunque turpes, copula sodomitica, copula extra vas, vel cum mortua non pariunt affinitatem. Tamburin. *d. cap. 12. §. 4. num. 2.*

89. *Quer.* An copula carnalis cum consanguineis alterius conjugis habita per vim, aut metum gravem liberet à contractu affinitatis? *Resp.* Negative, licet enim in tali copula non contrahatur poena non petendi debitum, ut diximus supra, non etiam fit, ut non contrahatur affinitas; quia hæc semper insurgit, ubi vera copula cum seminis effusione in vas sceminæ patratur. Tamburin. *ibidem num. 4.* ubi notat, eam insurgere etiam, si copula fiat cum ignorantia juris vel facti.

90. *Quer.* An Affinitas oriatur, si seminante viro cum consanguinea uxoris, ipsa consanguinea non seminet? *Resp.* Alios negare, & alios affirmare. Utramque sententiam probabilem dicit Tambur. *d. §. 4. num. 6. & 7.* Sed affirmativa est tenenda.

91. *Quer.* Quid sit impedimentum impotentiae coeundi? *Resp.* Esse impedimentum dirimens Matrimonium, consistens in eo, quod quis sit inhabilis ad actum conjugalem exercendum, quæ impotentia de jure Canonico vocatur frigiditas; sed differt à sterilitate; nam hæc non dirimit matrimonium, quia licet deficiat bonum prolis, tamen non deficit remedium concupiscentiæ, quia maritus potest commisceri cum sterili; quæ commixtio haberi non potest cum frigidis, vel im-

potentibus ad copulam. *tot. tit. De Frigid. & Maleficiat. Tamburin. d. lib. 8. de Matrimon. tract. 1. de Impedim. cap. 13. §. 1. & Maltius d. disp. 20. num. 114.*

92. *Quer.* An hoc impedimentum debeat attendi, si impotentia accadat post contractum Matrimonium? *Resp.* Negative, quia dirimit matrimonium, si ante ejus contractum extet; secus si eveniat post contractum. Tamburin. *d. cap. 13. §. 1. num. 3.* etiam si post ratum, & non consummatum, Maltius *d. num. 114.*

93. *Quer.* In quo consistat hæc impotentia coeundi, & ex quibus cognoscatur? *Resp.* Consistere in tribus, & ex uno horum trium cognosci; videlicet, vel si desit potentia ad penetrationem vas; vel si desit potentia ad emittendum verum semen; Vel si emitti non possit intra vas; non enim sufficit illud emittere extra vas, quamvis in ore vas. Sanchez *lib. 7. disp. 92. & disp. 107.* Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 60. num. 3.* Tamburin. *diff. cap. 13. §. 1. num. 4.* & Zacchias in *QQ. Medicoleg. lib. 3. tit. 1. q. 2. num. 10.*

94. *Quer.* Quot sint species impotentiae coeundi? *Resp.* Esse tres; scilicet, aliam Perpetuam, aliam Temporalem, aliam verò Dubiam. Tamburin. *diff. cap. 13. §. 1. num. 6.*

95. *Quer.* Quis sit effectus impotentiae perpetuæ? *Resp.* Quod absque difficultate matrimonium pronuncietur nullum, puta si vir habeat amputata virilia, vel ea omnino arida, *cap. Fraternitatis. De Frigid. & Maleficiat. Tamburin. diff. cap. 13. §. 2. num. 1.* Vel si mulier adeo sit arcta, ut nulla incisione, vel remedio adjuvari possit. Sanchez *lib. 7. disp. 93.* Imò licet per incisionem posset fieri apta ad copulam, reputatur impotens impotentia perpetua, quia non tenetur pati incisionem; ut tenent moderni, inter quos Pontius *de Matrim. lib. 7. cap. 62.* Diana *part. 11. tract. 5. resol. 11.*

96. *Quer.* Quid agendum, si impotentia coeundi procedat ob maleficia? *Resp.* Recurrendum esse ad remedia naturalia, & ad spiritalia, quæ si non proficiunt, & sit necessarium opus malefici ad solvendum maleficium, si absque novo maleficio possit adhiberi, licitum erit eo uti; sin minus, est omnino abstinendum, & impotentia reputabitur perpetua; conjugesque erunt separandi per judicis sententiam. *cap. Laudabilem. De Frigid. & Maleficiat. Tamburin. diff. lib. 8. de Matrimon. tract. 1. de impedim. cap. 13. §. 2. num. 4. & 5.*

97. *Quer.* An Eunuchi, seu Spadones possint contrahere Matrimonium? *Resp.* Negative, si careant ambobus testibus, nam verum semen emittere non valent, & ita definitum esse à Sixto Quinto, testatur Gutierrez *Quest. Canon. lib. 1. cap. 15.* Quod si unum testiculum sanum habeant, poterunt contrahere. Perez, quem allegat, & sequitur Tamburin. *ubi supra num. 6.*

98. *Quer.* An senes, & decrepiti possint inire Matrimonium? *Resp.* Esse discordes inter se Doctores; nam alii asserunt, & alii negant, tam in viris quam in sceminis, & u-

tram

Erot. Eccles. Cap. CXXXIII. De Impedimentis &c. 241

tramque opinionem vocat probabilem Tambur. ubi ante num. 8. & 9.

99. *Quer.* An conjuges effecti senes, & decrepiti, qui non possunt amplius filios generare, possint licite conari ad copulam, & talis inter se exercere? *Resp.* Affirmative, dummodò ex debilitate non seminant extra Vas: quia licet inepti sint ad generandum, habent jus ad copulam saltem ad concupiscentiam sedandam, & amorem mutuum fovendum. Tamburin. in Decalog. lib. 7. cap. 3. §. 5. num. 37. & 38.

100. *Quer.* An mulier vidua, quæ in præcedenti conjugio semper peperit cum morte prolis absque baptismo, vel cum periculo suæ vitæ, possit iterum nubere? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; & affirmativam modernæ tuerentur, maxime si id futuro marito notum faciat. Tambur. de Matrim. dict. lib. 8. tract. 1. cap. 13. §. 2. num. 11. & seqq.

101. *Quer.* An impuberes possint contrahere matrimonium? *Resp.* Negative, nisi malitia suppleat ætatem. tot. tit. De Desponsat. Impub. Et impuberes dicuntur, si masculus non habeat decimum quartum annum, femina verò, si duodecimum nondum compleverit. Quamvis a Medicis, & Historicis referantur exempla de pueris, ac puellis venere agentibus in teneriori ætate, de quibus Zacchias in QQ. Medicol. lib. 1. tit. 1. qu. 4. num. 28. Tunc verò malitia dicitur supplere ætatem, si impuberes polleant sufficienti judicio ad contrahendum matrimonium cum usu rationis; & si apti facti sint ad coeundum, & ad semen in vas femineum emittendum, Sanchez lib. 7. disp. 104. Tambur. ubi supra dict. §. 2. num. 16. & seqq. Qui num. 23. notat, quod si impuberes contrahant matrimonium, malitia non supplente ætate, non peccant; quia non valet ut Matrimonium, sed ut sponsalia. Quod si ob malitiam supplementem ætatem velint contrahere, opus est decreto Episcopi, cum aliqua justa causa. Corrad. in Praxi dispens. cap. 43. num. 3. nam si absque decreto Episcopi contraherent, peccarent mortaliter; & si inito matrimonio, reperirentur inhabiles ad copulam, esset expectandum complementum pubertatis.

102. *Quer.* Quid agendum, si impuberes, facti puberes, adhuc inepti sint ad copulam maritalem? *Resp.* Duo sunt casus distinguendi. Unus est, quando vir, & mulier concordes sunt in asserenda eorum impotentia ad copulam; & in hoc casu Judex non debet venire ad sententiam super nullitate matrimonii, nisi tribus concurrentibus. Primo, ut per triennium conjuges frequenter expectantur, an simul possint coire. Secundo, ut transacto triennio, & non valentibus coire, jurent, se frequenter conatos, non potuisse copulam habere. Et tertio, ut accedat etiam testimonium septimæ manus, id est, ut septem parentes ex parte viri, & totidem ex parte feminae jurent, se credere, ipsos conjuges verum dicere, neque fictitiam, aut fraudulentam esse eorum impotentia asseritionem. Diana part. 11. tract. 5. resol. 8. Jordan. in suis Elucubrat. tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 379. & seqq. ubi Rotæ decisionem ponit, ex

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

qua deducitur, prædicta esse observanda, si signa impotentia sint dubia, secus si certa, ut abscessio genitalium, ariditas totius virgæ &c. nam tunc poterit, prædictis non servatis, Judex procedere ad declarandum nullum matrimonium. Alter casus est, si unus conjux asserat impotentiam, & alius neget, affirmando potentiam, & tunc Judex debet maturè procedere, & diligenter exigere probationes juxta abundè tradita per Doctores, quos latè citat Jordan. ubi supra; & Tambur. d. cap. 13. §. 13. per totum.

103. *Quer.* Quid juris, si impotentia superveniat, Matrimonio jam ante legitime contracto? *Resp.* Tunc Matrimonium esse indissolubile, ut dictum est supra; etiam si matrimonium nunquam fuisset consummatum, sed solum fuisset ratum; nam semel validum, semper est validum. cap. Hi, qui. 32. qu. 7. Tamburin. dict. cap. 13. §. 5. ubi notat, conjugibus istis non esse prohibitos tactus, & oscula, si periculum pollutionis non adsit.

104. *Quer.* Quid dicendum, si impotentia sit respectiva quo ad ipsos conjuges tantum, puta quia mulier sit arcta, & vir habeat genitale Instrumentum nimis grande respectu arctæ, quod nimium non erit cum non arcta? *Resp.* In hoc casu posse deveniri ad declarandum nullum matrimonium; sed servatis de jure servandis. Pontius lib. 7. de Matrimon. cap. 62. Jordan. dict. lib. 3. tit. 7. à num. 379. & seqq.

105. *Quer.* Quid agendum cum Hermaphrodito, volente contrahere Matrimonium? *Resp.* Vel in eo prævalet alter sexus, & juxta illum debet contrahere; vel uterque sexus est in eo æqualis, & tunc unum debet eligere, quem maluerit, & juxta eum copulari, non recessurus ab eo sexu sub pœna peccati mortalis; neque si viduus fiat; quo tamen casu, scilicet viduitatis, si pro alio sexu se gereret, & contraheret, validè contraheret. Quod si post initum matrimonium femina evaderet vir, vel maritus sexum femininum nancisceretur, tunc essent separandi, quia matrimonium à principio reputaretur nullum ob dispositionem corporum ad alium sexum, quamvis occultum, ut pulchrè considerat Tamburin. dict. lib. 8. de Matrimon. cap. 13. §. 2. numer. 25. & seqq. Sed ubi ageretur de Hermaphroditi maritandis, non omittas legere meam Decisionem XLIII. de Penitentia, in qua reperies regulas certas pro resolutione omnium dubiorum tam circa Matrimonium, quam circa Ordines, ac Professionem Regularem; necnon ad feuda, & fideicommissa.

106. *Quer.* Quot sint species Hermaphroditorum? *Resp.* Esse quatuor; tres virorum, qui in diversis locis apud genitale habent etiam pudendum muliebre; & unam mulieris, quæ apud vas habet etiam penem; de quibus differit Zacchias QQ. Medicol. lib. 7. tit. 1. qu. 8. ubi plura non minus docta, quam curiosa, & ego d. Decis. 43. de Penitentia.

107. *Quer.* Quid sit Raptus? *Resp.* Raptus est peccatum Luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad carnalem copulam

H h

copulam

pulam cum ea habendam, quamvis sub prax-textu matrimonii. Tamburin. lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 1. & est impedimentum dirimens matrimonium inter Raptores, & Raptam, donec in eius potestate steterit, à Concilio Tridentino introductum sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 6.

108. *Quer.* Quot requirantur ad constituendum Raptum? *Resp.* Tria. Primò vis illata; idèd, si mulier consentiens abducatur, non erit Raptus, quamvis invitis parentibus; non tamen respectu culpæ, sed respectu pœnarum à Concilio Tridentino statutarum contra Raptores sponfarum. Secundò, finis inhonestæ libidinis, quæ talis est, etiam si intendatur futurum matrimonium; idèd si raperetur puella, ut fieret serva, esset Plagium, non Raptus. Tertiò Abductio; idèd qui per vim cognosceret puellam carnaliter, sed in loco, ubi eam reperit, non committeret Raptum; & idem esset dicendum, si eam adduceret de cubili ad cubile, sed in eadem domo, vel loco; nam opus est ad Raptum, eam abducere de loco, in quo erat, ad alium locum diversum, & vera distantia separatam. Tamburin. dict. lib. 7. cap. 6. §. 2. per totum, & Mastrius dict. disp. 20. num. 108.

109. *Quer.* An sit Raptus, si mulier rapiat virum? *Resp.* Non esse Raptum quo ad pœnas à Concilio Tridentino statutas; quia eas fulminat contra Raptores mulierum; non è contra in Raptrices virorum. Bene tamen esset Raptus quo ad culpam. Dian. part. 10. tract. 16. resol. 83. Sed esse Raptum ad utrumque effectum docent Scotistæ, inter quos Mastrius in 4. Sentent. disp. 7. num. 408. ubi alios cumulat. Et ego quoque dixi in Decisionibus meis de Matrimonio Anno 1683. Mense Novembri.

110. *Quer.* Quas pœnas statuerit Concilium Tridentinum contra Raptores mulierum? *Resp.* Primò, ut Raptores, & eis consiliarii, auxilium, vel favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Secundò, ut inter Raptores, & Raptam, quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum possit consistere matrimonium. Et Tertiò, ut Raptor teneatur mulierem Raptam iudicis arbitrio dotare. Concil. Trident. dict. sess. 24. cap. 6.

111. *Quer.* Quomodo incurrantur hæ pœnæ? *Resp.* Nullitas matrimonii, & excommunicationis incurrunt ipso jure; obligatio verò dotandi, solummodò post sententiam iudicis. Tamburin. dict. lib. 7. cap. 6. §. 2. num. 13. ubi notat, excommunicationem nulli esse reservatam.

112. *Quer.* An incurrat has pœnas, qui rapit mulierem, non pro contrahendo Matrimonio cum illa, sed pro inhonesta libidine explenda? *Resp.* Negat Sanchez de Matrimon. lib. 7. disp. 13. num. 4. Affirmat Bonac. de Matrim. qu. 4. punct. 18. num. 2. Utramque opinionem dicit probabilem Tambur. ubi supra n. 11. & Sac. Congreg. tenuit affirmativam, ut notat Nicol. Instit. Civil. lib. 1. tit. 10. num. 68. Vers. Sed contrarium.

113. *Quer.* An dictæ pœnæ incurrantur à Raptores, si abstineat à copula, & Raptam intactam servet? *Resp.* Affirmativè. Tambur. ubi supra num. 12.

114. *Quer.* Quid dicendum, si quis rapiat sponfam de futuro, id est eam, cum qua contraxit sponsalia? *Resp.* Raptores incurrere pœnas Concilii, si invitam rapiat, secus verò si volentem, quamvis parentibus invitis, cap. Cum causam. de Raptor. Nicol. ubi supra num. 68. Vers. De jure tamen Canonico: nam fœmina de jure Canonico, quo ad matrimonium, est sui juris. Dian. part. 3. tract. 4. resol. 261.

115. *Quer.* An idem sit, si quis rapiat sponfam, cum qua contraxerat per verba de præsenti? *Resp.* Negativè, quia tunc est sua uxor; nisi fortè id faceret intra duos menses, quos ipsa peteret ad deliberandum de Religione. cap. Ex publico. 7. De convers. conjug. Nicol. ubi supra num. 68. vers. Limita secundò.

116. *Quer.* An puella Rapta nomine Titii, sed Titio ignorante, possit nubere statim ipsi Titio? *Resp.* Affirmativè, quia Titius, qui nullum consensum præbuit Raptui, est omninò innocuus à pœnis. Tambur. d. lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 16. ubi addit, neque Raptores in hoc casu incurrere pœnas Concilii, & posse contrahere cum eadem Rapta puella; quia, inquit, Concilium pœnas infligit contra Raptores pro se, non intuitu alterius matrimonii. Quod tamen non ita de plano ego admitterem; nam Concilium loquitur generaliter, inter Raptores, & Raptam non posse consistere matrimonium; Raptoresque, ac fautores incurrere excommunicationem; idèdque crediderem, in praxi esse prius adhibendum remedium à Concilio statutum, id est, ut in loco tuto reponatur.

117. *Quer.* Quo remedio utendum, ut inter Raptores, & Raptam possit fieri matrimonium? *Resp.* Ut Rapta separetur à Raptores, ac in loco tuto reponatur; ubi si spontè dixerit, vel le nubere Raptori, poterit cum eo contrahere; & eidem absolutio erit ab excommunicatione danda cum debita poenitentia. Concil. Trident. dict. sess. 24. cap. 6. & Nicol. dict. lib. 1. tit. 10. num. 68. Vers. Limita tamen primo.

118. *Quer.* An puella existens in potestate Raptoris possit validè nubere alii, quam ipsi Raptori? *Resp.* Affirmativè, quia pœna nullitatis viget inter Raptores, & Raptam, non inter Raptam, & alium, qui non consensit raptui. Nicol. ubi supra num. 68. Vers. Limita nonò.

119. *Quer.* An Raptum committat, qui mulierem dormientem carnaliter cognoscit? *Resp.* Negativè, quia licet adhibeat fraudem, quæ assimilatur vi, tamen eam de domo non abducit; peccabit tamen, ultra speciem carnalis culpæ, etiam contra justitiam, idque in confessione debet exprimeret. Diana part. 9. tract. 8. resol. 2. Tambur. dict. lib. 7. in Decal. cap. 6. §. 2. num. 17.

120. *Quer.* Quidnam statutum sit ab Ecclesia circa præsentiam Parochi, & Testium in contrahendo Matrimonio? *Resp.* Statutum est in Conc. Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 2. propter bonum commune totius Reipubl. Christianæ, & ad tollenda matrimonia clandestina, quorum causa plurima scandala vigeant; nulla esse illa matrimonia

monia inter fideles contracta, quæ celebrantur sine præsentia Parochi, & duorum saltem Testium in locis, ubi publicatum fuerit hoc Concilii Decretum. Tambur. de Matrim. lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 1. & 2.

121. *Quer.* An præsentia Parochi necessaria sit etiam in casu urgentissimæ necessitatis, nempe si expediret morti proximis adinvicem contrahere? *Resp.* Affirmative, ut confutatis contrarium docentibus tenet Tambur. ubi supra §. 2. num. 1.

122. *Quer.* Quid dicendum de Matrimonio fidelium in locis, ubi non est publicatum Concilium Tridentinum, vel si jam publicatum, nunc causa persecutionis, vel ab hæreticis, vel ab infidelibus illata; nullus Parochus reperitur? *Resp.* Concilium non obligat ad hanc solemnitatem, ubi non fuit publicatum; ubi verò publicatum fuit, sed nullus Parochus reperitur, sufficit contrahere coram duobus testibus, ut decidisse Sac. Congreg. testatur Tambur. ubi supra num. 10. & Nicolius, qui Decreta pro Japoniis exscribit dist. lib. 1. Instit. civil. tit. 10. num. 59. & 60.

123. *Quer.* An Græci inter Latinos viventes, vel etiam in Græcia commorantes, at Ecclesiæ Catholice uniti, teneantur in Matrimonio hoc Decretum servare? *Resp.* Affirmative, quia vigore unionis Ecclesiæ Græca obligatur recipere leges Apostolicas etiam in his, quæ spectant ad jus humanum; ut allegatis Constitutionibus Pontificiis docet Nicol. ubi supra dict. num. 60. Vers. secundo, quod ex forma.

124. *Quer.* An valeat Matrimonium illorum; qui ne contrahant coram Parocho, transeunt ad locum Hæreticorum, ubi non sunt Parochi, & more Incolarum illius loci contrahunt? *Resp.* Cum distinctione, vel transferunt animo mutandi domicilium, & tunc valide contraxerunt; si verò cum animo revertendi, & non mutandi domicilium, & tunc invalide, prout ita diffinitum per Breve Urbani Papæ Octavi, testatur Cardin. de Lugo lib. 1. Resp. Moral. dub. 36. & Tambur. dist. lib. 8. de Matrim. tract. 6. cap. 2. §. 2. num. 16.

125. *Quer.* Quid juris, si sponsi sint de loco, in quo non est publicatum Concilium Tridentinum, & veniant contracturi Matrimonium in locum, ubi publicatum est? *Resp.* Eos teneri adhibere Parochi, & duorum testium præsentiam, aliàs nulliter contrahere. Tambur. ibid. num. 17. & Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 7. §. 1. & seqq.

126. *Quer.* Quid dicendum, si sponsus sit de loco, in quo publicatum est Concilium, sponsa verò sit de loco, in quo non sit publicatum, vel è contra? *Resp.* Habendam esse rationem loci, in quo matrimonium per verba de presenti celebratur; ita ut si locus sit ille, in quo Concilium publicatum est, adhibendus sit Parochus cum testibus; sin minus, omitti potest eorum præsentia. Tambur. ibid. num. 18. & 19.

127. *Quer.* An quæcunque præsentia Parochi, & testium sufficiat, etiam si sit involuntaria? *Resp.* Præsentiam physicam, & materiale tantum non sufficere; sed humanam

& moralem, qua scilicet intelligant, & advertant, quid à contrahentibus agatur, licet coacte, seu involuntarie. Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 39. & Bossius cap. 3. §. 1. Hinc amentes, furiosi, infantes, ebrii, dormientes, non sunt testes idonei quamvis sint præsentibus matrimonio, quia de eo testificari non possunt. Tambur. dist. cap. 2. §. 3. num. 4.

128. *Quer.* An sufficiat præsentia non advertentis, seu, ut dici solet assistentia virtualis, cum scilicet quis volebat advertere, sed distractus mente ad aliud negotium, non attendit ad contractum sponsum? *Resp.* Negative. Tambur. ibid. num. 5. & 6. ubi idem asserit, si contrahentes sint velo cooperti, & non cognoscantur certò à testibus.

129. *Quer.* An sufficiat præsentia casualis ipsorum testium, & Parochi, id est, si non rogati, sed casu ibi accedant? *Resp.* Affirmative, dummodo intelligant, quid contrahentes agunt: secus si non intelligant, vel non advertant. Sanchez d. lib. 3. disp. 39. num. 11. Tambur. ibid. num. 7. ubi refutat Pontium, contrarium sentientem.

130. *Quer.* An satis sit assistentia testium non intelligentium idioma sponsum, sed per interpretem moneantur de Matrimonii contractu? *Resp.* Negative, nisi ex actibus sponsum externis certò capiant, eos matrimonium contrahere; quod tamen est periculoso, & subjectum deceptioni, quia si alterum ex contrahentibus præniteret, dicere posset, tunc promississe per verba de futuro, & contraxisse sponsalia, non autem matrimonium. Pontius de Matr. lib. 5. cap. 21. n. 10. & 11.

131. *Quer.* An valeat Matrimonium coram Parocho per vim, seu metum detento; una cum testibus; vel si ipse dederit licentiam per vim, aut metum alii Sacerdoti assistendi, aut fuerit extorta per mendacia? *Resp.* Affirmative; sed sic contrahentes peccare mortaliter, & posse ab Episcopo puniri. Tambur. dist. lib. 8. de Matrim. Impedim. tract. 6. cap. 2. §. 3. num. 9. & seqq. ubi tenet, vim, metumve illatum testibus, non autem Parocho videri solum venialem culpam.

132. *Quer.* An Matrimonium sit validum, si Parochus ei assistat, vel det licentiam alii Sacerdoti assistendi, contra expressam præcedentem prohibitionem sibi ab Episcopo factam etiam cum decreto irritante; seu sub pœna nullitatis Matrimonii? *Resp.* Esse validum, quia Episcopus potest quidem punire Parochum inobedientem, sed non irritare matrimonium ex capite assistentiæ, quæ à jure communi, & à Concilio Tridentino decreta est sufficiens, cui Episcopus derogare non potest, neque novum impedimentum dirimens instituere. Tambur. ibid. pluribus citatis num. 18. & 19. qui num. 22. non approbat doctrinam contrariam Dianæ part. 11. tract. 3. resol. 32.

133. *Quer.* An Summus Pontifex possit interdicere Parocho, ne assistat sub pœna nullitatis Matrimonii? *Resp.* Affirmative. Tambur. dist. §. 3. num. 23.

134. *Quer.* Quibus pœnis subiaceant contrahentes Matrimonium absque præsentia Parochi, & testium? *Resp.* Eos subiacere pœ-

H h 2

nz

244 Erot. Eccl. Cap. CXXXIII. De Impedimentis &c.

na nullitatis matrimonii, peccati mortalis, & illegitimitatis filiorum. Boff. de Matrim. cap. 6. Quod tamen intelligendum est, si scienter uterque conjux præsumpserit contrahere absque proprio Parochi præsentia; nam si eorum alter bona fide contraheret, puta quia deceptus, filii forent legitimi pronunciandi; ut ego obtinui in Episcopatu isto, dum advocati munere fungeret coram Abbate Marco Marchiano Vicario Generali, Canonista eximio, (qui postea fuit ad Episcopatum Feltren. ab Alexandro Septimo evehctus) nam cum me instante declarasset, nullum matrimonium ejusdem foemina nobilis, quæ decepta à marito, ei nupserat coram Regulari, asserente falso se habuisse licentiam à proprio Parocho assistendi; filias tamen inde natas legitimas pronunciavit ob bonam fidem matris; ideoque fuerunt dotatae de bonis ipsius mariti juxta statum nobilitatis suæ.

135. *Quer.* An sint de essentia verba illa, quæ ex Rituali Romano profert Parochus in celebratione matrimonii, scilicet: *Ego conjungo vos in Matrimonium in nomine Patris &c.* *Resp.* Negative, quia idem sonant, ac si diceret: *Ego declaro vos contraxisse legitimum Matrimonium.* Porro Parochum ea omittentem peccare mortaliter, alii docent; alii verò venialiter tantum. Tamburin. utrosque allegans, & posteriori opinioni adherens d. cap. 2. §. 4. num. 4.

136. *Quer.* An necessaria simpliciter sit interrogatio facienda à Parocho circa consensum contrahentium? *Resp.* Negative; quare si illum satis exprimant non interrogati, potest absque culpa omitti. Tambur. *ibid.* num. 5.

137. *Quer.* Sub qua pœna Parochus teneatur describere in libro suo Parochiali celebrationem Matrimoniorum? *Resp.* Sub pœna peccati mortalis, & aliis, ad arbitrium Episcopi. Tamburin. *dict.* cap. 2. §. 4. num. 6. & 7.

138. *Quer.* An vir, & uxor, nescientes rudimenta fidei, sint arcendi à contractu Matrimonii? *Resp.* Negative, si de absoluta rejectione agatur; secus si ad aliquod tempus, donec ea discant. Tamburin. *ibid.* num. 9.

139. *Quer.* An nomine Parochi in hac materia veniat solus Parochus, id est, Sacerdos investitus in Beneficio? *Resp.* Appellatione Parochi venire, ultra Sacerdotem in beneficio Curato Deputatum, etiam Episcopum in tota Diocesi, ac ejus Vicarium Generalem, necnon Vicarium Capitularem Sede Episcopali vacante; Item Cardinales in suo titulo; Legatum à latere in Legationis suæ Provincia; Archiepiscopum in visitatione Diocesim suorum Suffraganeorum, vel ubi fuit ad eum à sententia Episcopi appellatum; Summum Pontificem in toto orbe: Sanchez de Matrimon. lib. 3. disp. 7. num. 10. Pontius lib. 5. cap. 10. & Tambur. ubi supra cap. 2. §. 5. num. 1. ubi id extendit etiam ad Abbates, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem; si tamen sint in Abbazia instituti, non autem si tantum in Commenda habeant. Dian. *part.* II. *tract.* 3. *resol.* 35.

140. *Quer.* An validè assistat Parochus censuris quibuscunque irretitus, sive irregularis? *Resp.* Affirmative, quamvis non licitè assistat, & absque peccato; nam censura non auferunt jus assistendi; quia tale jus non est actus jurisdictionis, sed qualitas proveniens à titulo Parochiali residente in ipso Parocho, ideo potest tale jus alteri delegare; etiam si foret intrusus; dummodo habeat titulum coloratum, & communiter credatur verus Parochus. Diana *part.* II. *tract.* 3. *resol.* 33.

141. *Quer.* An valeat Matrimonium contractum coram Parocho Hæretico? *Resp.* Negative, quia per hæresin beneficia vacant ipso jure, & sic Parochus Hæreticus non est amplius Parochus. Ita S. Congreg. apud Fagnan. in cap. *Ad abolendam* num. 38. de Hæretic.

142. *Quer.* An valeat Matrimonium factum à Parocho contra prohibitionem Episcopi sub pœna nullitatis? *Resp.* Valere. Fagnan. in cap. *Littera quas.* à num. 5. de Matrim. *contract.* contra *interdict.* Eccles. tom. 6. pag. 81. quod diximus mox supra *quest.* 132. Sed Parochus esset puniendus.

143. *Quer.* An quæcunque persona possit à Parocho delegari, ut assistat Matrimonio? *Resp.* Negative, sed tantum Sacerdos. Concil. Trident. *sess.* 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Tamburin. *dict.* §. 5. num. 3. ubi subdit, delegationem prædictam fieri posse per Parochum alteri Sacerdoti tam scripto, quam verbo, tam generaliter, quam particulariter.

144. *Quer.* An Capellanus, qui obtinuit ab Episcopo licentiam adjuvandi Parochum in administratione Sacramentorum sine alia specificatione, validè assistat celebrationi Matrimonii? *Resp.* In hoc esse discordes Doctores, quos allegat Diana *part.* II. *tract.* 3. *resol.* 32. & *tract.* 5. *resol.* 10. Ad utramque opinionem esse probabilem docet Tambur. *dict.* lib. 8. de Matrim. *tract.* 6. cap. 2. §. 5. num. 4. Tu dic, quod si Episcopus dedisset facultatem pro Confessionibus audiendis tantum, validè non assisteret matrimonio. Secus, si pro coadjuvando Parocho circa omnia Sacramenta.

145. *Quer.* An valeat Matrimonium contractum coram non Parocho, qui tacitam licentiam habere confidit à proprio Parocho? *Resp.* Si tacita licentia est de præsentia, puta quia Parochus non est absens, & posset prohibere, si vellet, sed non prohibet, imò videt, & tacet, & in hoc casu Matrimonium valet. At si tacita licentia est de futuro; puta, quia Parochus abesset, & alius Sacerdos diceret, est amicus meus, spero eum ratum habiturum assistentiam meam, & sic assistat; Matrimonium non erit validum, nam non potest pendere in incerto. Hurtad. quem citat, & sequitur Tamburin. *ibidem* num. 5.

146. *Quer.* Quid dicendum, si Sacerdos assistens Matrimonio obtinisset licentiam à Parocho per vim, dolum, aut metum? *Resp.* Matrimonium valere. Tambur. *ibid.* num. 5.

147. *Quer.*

147. *Quer.* An possit assistere Matrimonio ille, qui licentiam obtinuit à Parocho, si iterum Parochus mortuus sit, vel privatus beneficio? *Resp.* Cum distinctione. Vel assistens habet notitiam mortis, vel privationis prædictæ, & non potest amplius assistere, quia delegatio ad causam determinatam spirat mortuo delegante. Vel adhuc notitiam non habet; & ob bonam fidem, & titulum coloratum valide assistet. Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 28. à num. 64. Card. de Lugo lib. 1. Resp. Mor. dub. 35. Tambur. d. S. 5. num. 6.

148. *Quer.* Si Parochus dedisset licentiam alteri Sacerdoti, ut assisteret Matrimonio; sed iste nesciret, datam esse sibi licentiam, & nihilominus assisteret; essetne Matrimonium validum? *Resp.* Distinguendo; vel ipse assistens miserat ad petendam licentiam, & ea obtenta, antequam sibi notificaretur, assisteret; peccaret quidem, exponendo se periculo nullitatis, sed valide assisteret, quia concessio gratiæ incipit valere à puncto concessionis factæ oratori petenti, & acceptanti. At si nullo petente fuisset licentia data ultro per ipsum Parochum; matrimonium esset nullum, quia cum à nullo dicta licentia sit acceptata, nullum parit effectum. Cattropal. disp. 2. de Sponsal. punct. 13. num. 6. Dian. part. 12. tract. 3. resol. 32. & est Textus in cap. Si tibi absenti. de Præbend. in 6. Tambur. dict. lib. 8. tract. 6. cap. 2. S. 5. num. 7.

149. *Quer.* An Capellanus conductus à Parocho, ut sibi serviat in administratione Sacramentorum, possit dare licentiam alii Sacerdoti assistendi Matrimonio? *Resp.* Affirmative, quia delegatus ad universitatem causarum, potest subdelegare. Tamburin. ubi proxime num. 8. Gobat. de Sacrament. Matrimon. tract. 9. num. 487. & 534. Fagnan. in cap. Quid nobis num. 37. de Claud. Desponsat. si tamen Capellanus operaretur ad nutum Parochi absque commissione generali exercendi totam curam, in hoc casu non posset dare dictam licentiam, ut firmatum fuit in meis Decisionibus de Matrimonio Mense Decembri ad Primum Casum ex Bossio de Matrim. cap. 4. num. 80. & Pontio lib. 5. cap. 28. num. 2. in fine.

150. *Quer.* An Parochus possit revocare licentiam antea datam? *Resp.* Affirmative, sed antequam matrimonium sit contractum, & cum certa intimatione revocationis ipsimet Sacerdoti, cui licentia fuerat concessa. Idem Tamburin. num. 9.

151. *Quer.* Quomodo cognoscatur, an quis sit de Parochia ad effectum contrahendi valide Matrimonium coram proprio Parocho? *Resp.* Esse distinguenda quatuor genera habitantium. Primum est eorum, qui fixum habent domicilium per totum annum in Parochia. Secundum est illorum, qui habitant pro majori parte anni tantum, ut Scholares Patavii, vel litigantes Venetiis. Tertium illorum, qui per paucos dies occasione solatii, aut recreationis. Quartum illorum, qui vagi sunt, & nullibi morantur, ut sunt comici, & circulatorum. Modò, personæ primi, & secundi generis absque dubio contrahunt coram Parocho, in cujus Parochia morantur. Secus est de illis tertii generis, quia

non dicuntur habere domicilium ibi, ubi ex itinere morantur. Personæ quarti generis censentur de Parochia, ubi se firmant, quamvis citò discessuri. Barbof. in Collatam. DD. ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 7. Tamburin. dict. cap. 2. S. 5. num. 10. 11. & 12. ubi tamen num. 13. advertit, non debere Parochum matrimonii vagorum assistere, nisi prius exhibeant licentiam Ordinarii, & attestationem libertatis eorundem ad tradita per Concil. Trident. sess. 24. cap. 7. de Reform. Matrim.

152. *Quer.* Si conjuges habitent in diversis Parochiis, an sit contrahendum Matrimonium coram Parocho viri, vel coram Parocho mulieris? *Resp.* Possè contrahi tam coram isto, quam coram illo quò ad validitatem; etsi quò ad convenientiam sit servanda consuetudo loci, quæ Patavii est, ut contrahatur coram Parocho mulieris. Tambur. ibid. à num. 15. & seqq.

153. *Quer.* Quam pœnam incurrat Parochus, qui assistit matrimonio alienorum Parochianorum? *Resp.* Incurrere pœnam suspensionis à divinis ipso facto ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. à qua non potest absolvi, nisi ab Episcopo.

154. *Quer.* Si Parochus det licentiam alicui Sacerdoti assistendi Matrimonio alienorum Parochianorum, an suspensio incurratur per dictum Parochum, vel per dictum Sacerdotem? *Resp.* Eam incurri per dictum Sacerdotem, quia Concilium Tridentinum infligit suspensionem in assistentem. Avers. quest. 6. sect. 8. Vers. demum.

155. *Quer.* Tandem, si sponsi sint diversarum civitatum, & faciant mandatum Procuratorum duobus amicis in alia civitate commorantibus, ut eorum nomine matrimonium contrahant, quaeritur, an Parochus Procuratorum fuerit verus Parochus, & potuerit valide assistere tali Matrimonio? *Resp.* Hunc casum non inveniri apud Doctores discussum, ut notat Tambur. dict. lib. 8. tract. 6. cap. 2. S. 6. num. 23. Ubi doctè equidem sic distinguit; vel unus sponsus tantum est absens; & ejus loco deputatur Procurator; & tunc matrimonium poterit celebrari coram Parocho sponsi præsentis cum interventu Procuratoris pro sponso absente: At si ambo sponsi absint; & uterque eorum fecerit Procuratorem ad contrahendum, qui Procuratores stent in alia Civitate; Parochi istorum Procuratorum nequaquam possunt valide assistere matrimonio per eos Procuratorio nomine contrahendo, quia neuter illorum est Parochus sponforum. Idèò necesse erit, ut Parochus sponforum deleget facultatem Parocho Procuratorum assistendi prædicto matrimonio; quod non est neque difficile, neque grave, quia debent etiam eidem sponsi mittere attestationes suæ libertatis. Ita Tambur. ubi supra dict. num. 23.

156. *Quer.* Quomodo testes debeant esse præsentibus contractui matrimonii? *Resp.* Eos ita præsentibus esse oportere; ut duo saltem simul cum Parocho, unitim, interveniant contractui, dum actualiter consensus de præsentibus datur; adeò, ut non sufficiat, si unus audiat consensum viri tantum, alter verò consensum

246 Erotem. Eccl. Cap. CXXXIV. De Impedimentis &c.

sum mulieris. Tamburin. *dict. cap. 2. §. 6. num. 2.*

157. *Quer.* Quæ debeant esse qualitates istorum testium? *Resp.* Unica qualitas est necessaria in his testibus, & hæc est, quod sint compotes mentis, usu rationis polleant, & advertant, quid agatur. Idcirco in hoc negotio matrimonii contrahendi, habiles testes sunt etiam infames, excommunicati, propinqui, fœminæ, servi, infideles; ac etiam pueri, si ad annos discretionis advenerint. Sanchez de *Matrimon. lib. 3. disp. 39. & 41.* Diana *part. 11. tract. 3. resol. 33.*

158. *Quer.* An iidem omnes sint sufficientes ad testificandum super nullitate quacunque matrimonii? *Resp.* Negative, quia in ea causa testes debent esse omni exceptione majores *cap. 1. de Consanguin.* Tamburin. *ubi supra num. 4.*

159. *Quer.* Tandem, si alter sponsum, ad effugiendas contradictiones proprio Parocho delatas, transeat ad habitandum per aliquot dies in alienam Parochiam, animo ibi contrahendi Matrimonium coram illo Parocho, & postea revertendi ad suam propriam Parochiam, & propriam domum, & hoc modo cum altero suo sponso contrahat, An hoc matrimonium sit validum? *Resp.* Negative, quia ad contrahendam Parochiam ad effectum contrahendi matrimonium non quolibet habitatio sufficit (prout pro recipiendo Viatico, ac Extrema Unctione) sed oportet contrahere verum domicilium, pro quo duo requiruntur, scilicet animus non amplius revertendi ad primam domum, & verè habitandi in secunda Parochia, ut decisum est à Rota *decis. 498. part. 14. recent. ac part. 15. decis. 162.* Et docent Barbosa in *Votis consult. lib. 2. vot. 19. art. 1.* Card. de Luca *dis. 1. de Matrimon. num. 10.* Et ita respondi ad quoddam matrimonium Villæ Broliani Vicentinæ Diocesis, super cuius nullitate consultus fui.

C A P U T CXXXIV.

De Impedimentis non dirimentibus.

Cum dictum sit in principio hujus tractatus, quatuor tantum esse impedimenta non dirimentia, hoc carmine comprehensa, videlicet:

Sacratum Tempus, Vetitum, Sponsalia, Votum.

1. *Quer.* Quid significet *Sacratum Tempus*?

Resp. Quod ex novo Jure Concilii Trident. *sess. 24. de Reformat. Matrimon. cap. 10.* prohibitum est celebrare matrimonia ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive; quod à Doctoribus intelligitur, si solemnium pompa matrimonia sint celebranda, secus si privatim; Sanchez de *Matrimon. lib. 7. disp. 6. num. 6.* & Pontius *lib. 6. cap. 7.* Tamburin. *dict. lib. 8. de Matrimon. cap. 16. num. 2.* Quamvis Praxis sit in contrarium his nostris

regionibus, in quibus talis, & tanta est pietas fidelium, ut neque privatim matrimonia contrahant tempore Sacrato, nisi ex magna necessitate, & tunc cum precedenti licentia Episcopi; & idcirco ab hac praxi non esse recedendum, firmat Cucchus *Instit. Major. lib. 5. tit. 12. num. 5.* & Pax Jordan. *lib. 3. tit. 7. de Matrimon. num. 135. & 136. tom. 1. pag. 243. 244.* Et ego scripsi in meis Decisionibus de Matrimon. Anno 1684. mense Majo, ubi DD. ita docentes cumulavi; & de his quatuor impedimentis differui.

2. *Quer.* Quale sit impedimentum insurgens ex ly *Vetitum*? *Resp.* Quod si fortè ab Episcopo, vel ab alio Superiore prohibeatur ad tempus celebratio matrimonii, ob aliquam justam causam, puta ad cognoscendum super impedimento, vel ad sedandas rixas, durante prohibitione, non est licitum contrahere. Idem est, si unus ex contrahentibus esset excommunicatus tam majori, quam minori excommunicatione, quia talis est etiam interdictus recipere Sacramenta; idcirco, quamvis validè contraheret matrimonium, non tamen licitè contraheret. Tempore verò generalis interdicti solemnitates nuptiarum sunt prohibita, non autem celebrationes private, cum Parocho, & testibus, absque pompa. Porro si in prædictis casibus ad matrimonium procedatur contra prohibitionem Episcopi, ipse poterit procedere ad penam contra transgressores. Chartar. *decis. 23.* & est Text. in *cap. 1. de Matrimon. contra Interd. Eccles. Fagnan. in cap. Littera. quas. à num. 5. & seqq. eod. tit.* & notat Tamburin. *dict. cap. 16. num. 3.* ac mex Decisiones Anni 1684. de Impedim. non diriment.

3. *Quer.* Sponsalia quomodo impedimentum non dirimens inducant? *Resp.* Ita inducere impedimentum, ut scilicet, qui contraxit sponsalia per verba de futuro cum una, non possit eam deferere, & contrahere cum altera; nam de jure naturæ bonus vir tenetur servare promissam. Caterum si de facto contrahat cum secunda, omissa prima, valebit matrimonium, quamvis peccati erit reus, quod demonstrabitur infra in tractatu de Sponsalibus. Tamburin. *ubi supra num. 6. & 7.*

4. *Quer.* An *Votum* pariat impedimentum, & quale? *Resp.* *Votum simplex* castitatis reddit matrimonium non invalidum, sed illicitum. Hoc autem votum fit quadrupliciter. Primò, vovendo castitatem perpetuam. Secundò, vitam coelibem agendi, & non ducendi uxorem. Tertiò, ingrediendi ordinem sacrum; in his enim quatuor modis inest votum simplex castitatis, quod impedit, sed non dirimit matrimonium; & quidem Jure naturæ; nam quilibet obligatur adimplere vota facta Deo. Tamburin. *ubi supra num. 8.*

5. *Quer.* An inter impedimenta non dirimentia sit connumerandus Catechismus; & Crimen? *Resp.* Olim quidem hæc fuisse duo impedimenta impedientia non dirimentia; at jam in desuetudinem abiisse, & nunc non obligare. Propterea, quod Catechismus nullum